

De Definitione.

553

6. Cur autem imperfectum pro praesenti positum sit, non una ab Autoribus adferri solet ratio. Scaliger id factum esse dicit ad designandam perpetuitatem & naturae continuationem, & monet hac voce definitionem esse illarum rerum, quae semper eodem modo se habent. Alii hoc factum esse existimant ideo, quia illa quoque quorum essentia in perenni fluxu posita est, ut non tam esse, quam fieri videantur, definiuntur. Alii aliam adferunt rationem, quod sc. non solum eorum, quae sunt, sed etiam illorum, quae non sunt, definitiones dantur v. g. rosarum tempore brumae, nivis tempore aestatis. Vid. Scherb. *disp. de def. § 7.*

7. Additur *εἶναι*. Absque hoc enim, inquit Scherb. *l. c.* definitio esset illa quoque oratio, quae vel genus pluribus verbis proponeret, vel generi unum alterumve vocabulum adderet: talis enim *λόγος* propter genus explicaret *ὅτι εἶναι* & *περικείμενον πρῶγμα*, non tamen *τι εἶναι* & *εἶναι*. Sensus ergo definitionis huc redit: Definitio est oratio, quae significat, non quid sit res quocunque modo, (hoc enim fieri aliquo modo potest etiam per genus remotum & differentias genericas, ex quibus tamen definitio perfecta non constituitur) sed quid sit εἶναι, ipsum esse totaque rei substantia, id quod de definitione rei intelligendum esse, nemo non videt, & ex seqq. rectius intelligi poterit.

8. Definitio duplex est, ut patet ex Aristotele